Cardinalitia Quaestio agitanda In Scholis Medicorum

Die 20a Martii.

M. Claudio Becquet Moderatore.

An ex Natura Morbi, et Partis Remediorum distinctio?

Morbus quidem triplex per Contraria depelli: pars verò in sua temperie servari cupit. Caeterum haec pars dura, densa, profunda, ignobilis, sensus hebetis valentiora auxilia requirit: sic mollis, rara, externa, princeps, sensus acuti blandiora expostulat, a situ quomodo evacuandum, et quo loco topica admovenda est eruditur.

In Principio omnium tumorum ex defluxione licet repellentes, nonnunquam etiam si materia sit venenosa, Critica vel Iuxta partem nobilem, tumori declinanti, ex partis natura Iudicata vel solis digerentibus, vel iisdem temperatis adstringentibus succurrimus.

Lieni tumore affecto sola evacuatio per Intestina conducit, hepati verò per venas vel per ventrem confert. Caeterum ut illi vehementioribus, sic huic occurrendum est lenioribus; quibus omnibus adstringentia (in pleuritide vel peripneumonia prorsus vitanda) non commisceas gravissimus error consequitur.

Porro Intestinis crassis per injecta, tenuibus per sumpta probè consules: atque ore ventriculi affecto medicamenta sterno, non spinae applicabis, secus si afficiatur stomachus.

Praeputio, toti pelli quae vestit Colem, ac partibus siccioribus vicinis, sicciora conveniunt remedia; glandi, peni, ac partibus humidioribus minus siccantia, in utroque ratio est Contraria. Caeterum etsi podagricae sola nonnunquam repellentia sanarunt, eadem tamen Ischiadici non admittunt.



Ergo ex Natura Morbi, et Partis Remediorum distinctio.

Asserebat Lutetiae M. Hugo Brunet Parisinus. A. M.D.XLVIII.